

sublata navis ad certam altitudinem non posset salire altius, propterea quod aer superior, existens levior, non esset aptus ad ipsam sustentandam, atq; ita subsisteret eo loco ubi offenderet aerem tam subtilem, ut esset pondere equalis toti machinae cum Vectoribus. Deinde, ne nimis alte vehatur, conveniet onerare ipsam pondere magis minusve convenienti cum altitudine ad quam placeret ascendere: sed & si maxime illa justo altius eveheretur, facile esset adhibere remedium, aperiendo aliquantum Sphaerarum claviculas & aliquantillam aeris quantitatem admittendo, siquidem ita partem suae levitatis perdendo, cum tota navi deorsum irent, quemadmodum e contra, si non ascenderet ad altitudinem desideratam, possemus eam allevare, remotis ponderibus superne positis. Similiter ad terras usq; descensuri, deberemus aperire vasorum claviculas, siquidem aere paulatim subeunte perderent suam levitatem, atq; sic sensim descenderent usq; dum navis humi reponeretur.

Quinto posset aliquis opponere, non posse hanc navem agi remis, propterea quod hi navem in tantum agant per aquam, in quantum haec remis obnititur, cum aer adeo resistere non possit.

Huic respondeo, quod aer, et si tantum non resistat remis quantum aqua, quod subtilior multo sit & mobilior, renitatur tamen notabiliter & quantum sufficiat ad promovendam navim. Siquidem quò minor est resistentia qua remis obnititur aer, tantò etiam minor est illa qua motui navis obstat, unde cum parvula remi resistentia possit velociter moveri: praeterquam quod raro necessum sit futurum adhibere remos, quandoquidem in aere semper habebimus aliquid venti, qui etiamsi debilissimus, sufficiat tamen ipsi velociter provehenda: & si maxime ventus foret nostra navigationi contrarius, docebo alibi modum ita accommodandi malum navis, ut liceat navigare cum quovis vento non tantum per aerem sed etiam per aquam.

Sexto major est difficultas in sistendo nimio impetu, quo ventus vehementior posset agere navem, ita ut periculum esset ejus allidenda ad cacumina montium, qui sunt scopuli in hoc aeris oceano, vel etiam subvertenda penitus. Verum quoad secundum dico, difficulter à ventis posse subverti totam machinae molem cum multis hominibus, qui superincumbentes ipsi, contra pondium sunt futuri Sphaerarum levitati; ita ut haec semper supra navem elevata sine futura nec unquam navis supra ipsas attolli possit: praeterquam quod, cum navis in terram cadere non possit, nisi aer subintret Sphaeras, non sit periculum suffocationis in aere sicut in aqua, homines etiam ad tigna vel funes navigii alligati tuti forent ab omni lapsu. Quantum ad primum, fateor hanc nostram navim posse subire multa pericula, non tamen majora illis, quibus subjacent maritime navos; siquidem ut haec, ita illa posset uti anchoris ad arbores facile firmandis: ut taseam quod hic aeris oceanus, et si littoribus careat,